

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 10. Quid discamus ex vxoris Loth exemplo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Iam sub peccato mortali præcipi aut obli-  
gare. Quæ opinio an excusandæ curiosita-  
ti sufficiat, apud me non est liquidum. Po-  
tuisset & Eua leuitatem & exiguitatem  
materiæ, pomi scilicet esum, obtendere;  
sed sciuit satis graue esse, quidquid à Deo  
præcipitur, atque mortis comminatione  
vetatur. Ita & yxor Lot audiuit ab Ange-  
lo non soli Lot marito, sed sibi quoq; & fi-  
liabus dici: *noli respicere post tergum, nec stes Gen. 19:*  
*in omni circa regione: sed in monte saluum te 17.*  
fac, ne & tu simul pereas. Satis ergo scire  
poterat, graue esse, quod tam grauis pœ-  
na intentione prohibetur. Sed *incredibili-*  
*lis*, seu incredula fuit. Itaque si illam ali-  
quid excusat, impetus excusat, qui in tali  
rerum statu potuit rationem præuenire.  
Plerumque enim affectus subitus caret li-  
bertate,

## §. X.

*Quid discamus ex uxoris Lot exemplo?*

Sive autem lethaliter, sive venialiter,  
peccârit, perspicuè inde cernitur, quam sit  
horrendum incidere in manus Dei viuentis! *Hebr. 10:*  
*Insta sunt indicia eius, quæ si ob eiuscemodi 31.*  
vel incredulitatem, vel inobedientiam, vel *Apoc. 19:*  
curiositatem, sive mortalem, sive veniale, <sup>2.</sup>

tam seuerè punit; quid non metuendum  
erit ob scelera nefanda? Nam et si Hebræi,  
teste Lyrano, aiant, vxorem Lot idcirco  
in statuam salis esse compactam, quod  
vespere præcedente, cum Lot Angelos ex-  
cipere, in cœna non apposuerit salem,  
quo cibi condiuntur, idque ex gentilitate  
hospitum & hospitalitatis odio, fabula ta-

3. Reg. 13.

24.

men illa est Iudaica. Vera cauſa est, ut  
quemadmodum postea Deus, ob inobedi-  
entiam tantum veniale, Prophetam à leo-  
ne occidi iussit, alijs in exemplum; ita  
vxor Lot in statuā salis verteretur, vt esse  
quasi marmor & monumentum perenne  
diuinæ castigationis. Hoc enim exemplo  
docemur. 1. Credere Angelis, diuinis  
suggestionibus, bene monentibus. Idcirco

Sap. 10.7.

eo enim *Incredibilis anima memoria stan-  
dium salis*, nos adhortatur. 2. Docemur  
obedire, & non tanquam leue con-  
temnere, quod jubet Deus, suggerit Angeli  
lus, monet Concionator. 3. Docemur  
teste Philone Cyprio, oculos continere,  
que à curiositate abstinere. Si nocuit vide-  
re supplicium, quid damni feret intu-  
scandalum? *Vt vidi?* *ut perij?* potuit dicere  
uxor Lot. Quot, & quanti id iuuenes,

Philo  
Cypr. in  
catena.

ri, senes, pueri & puellæ dicere possent? Posset id dicere Dauid; possent dicere duo senes, quorum ille à Iauante Bethsabea, isti à Iauante Susanna oculis venenum hauserunt: posset id dicere Putipharis vxor, quæ mœcha facta non esset, nisi Iosephum perulantibus oculis respexisset. Punita est vxor Lot, quod ad terrible illud supplicium, quo impuri Sodomitæ vñstulabantur, oculos reflexisset; qua pœna digni erunt, qui, quod opere consequi non possunt, saltem oculis veniantur; vt, dum usus non conceditur, aspectu satientur? 4. Docemur, quæ retrosunt, obliuisci, ad ea verò, quæ priora sunt, extendere nos ipsos, ad brassum superna vocationis Dei in Christo IESV. Neque enim bene cœpisse sufficit. Quàm multi bene cœperunt, sed exciderunt? Non vanè Psalmus Cantici Asaph titulum præfigit: *In finem ne corrumpas. Insistendum* Psal. 74.  
*est bonis cœptis, non respiciendum. Vxor S. Prosp;*  
*Lot salis statua effecta, suo exemplo fatuos con-* lib. 1. de  
*diuit, ait S. Prosper, in proposito sancto, quo* Prædict.  
*tendunt proficientes, noxia curiositate retro* & pro-  
*non debere respicere; ac repetere Mundi &* miss. c. 16.  
*carnis voluptates, D. Augustinus hæc in-* S. Aug. in  
*culcat apostatis, qui calcato castitatis vo-* Psal. 75.

to, ad vomitum respiciunt. Christus vniuersim hoc exemplo monet eos, qui bene-

**Luc. 17.31.** cœperunt, vt perseverent. In illa hora, quæ  
fuerit in tecto; & vasa eius in domo, ne descen-  
dat tollere illa; & qui in agro similiter non re-  
deat retro. Memores estote uxoris Lot.

**Luc. 9.62.** alio loco: Nemo mittens manum suam a  
aratum, & respiciens retro, aptus est regnū  
**Dei.** 5. Docemur, quām nihil sine cauili  
iubeat Deus. Posset videri nimis rigidus  
dum tam seuerè vetuit, ne Lot cum suis  
fratre respiceret, aspiceretūe Sodomam fu-  
mantem. Sed habuit eius rei multas gra-  
uesq; caussas. Ita enim se Dominum osten-  
dit, cùm mandatum dedit. Ita illi se ser-  
uos exhibuissent, si omnes obediissent.  
Ita demonstrauit Deus detestandam con-  
sceleratæ gentis abominationem, vt qua-  
à suis respici nollet; ne quis pereuntiu-  
miseratione tangeretur. Ita volebat omni  
memoriam nefandorum hominum ex ani-  
mis sanctorum & purorum deleri. Ita de-  
monstrabat, adeò execrandoS Sodomitas  
vt Lot, & familia eius, ne de supellesti  
quidem, aut domo, ceterisque bonis su-  
vnà cum impia vrbe conflagrantibus cog-  
tare, aut dolere deberet. Nam sic etiam  
Christi

**Matth.**  
**10.14.**

Christus iussit Apostolos excutere puluerē de pedibus in eos, qui Euangelium auer-sarentur, ut hoc signo manifestum face-rent, se cum tam nefarijs hominibus nihil, ac ne puluisculum quidem velle habere communem. Ita denique non solum Deus Sodomitā relinquētibus occasionem de-dit, vt nullum in illis pœnitentiæ signum, quale est respicere, videretur; sed etiam, vt instantē incendio quām citissimē fuge-rent; sicut ē domo fugiunt homines incen-dio iam illam depopulante. Hoc vos ergo monstrosa vxoris Lot statua docet, ô iuuenes, detestari, fugere; &, si fugitis, non respicere mundum & vanitates eius Auernali incendio proximas. Hoc vos do-cet, ô peccatores, statua salis, deserere malos, horrere præterita, ac neque oculis, neque mente respicere ad pristinas ille-cebras: deniq; iudiciorum Dei, cum timore ac tremore meminisse.



## X S CAPVT